

C 94

S. 5

DISPUTATIO ETHICA
DE
**ACTIONUM HU-
MANARUM PRIN-
CIPIIIS,**

Quam,
Aurâ Divinæ Gratiaæ aspirante
Et
Inclytâ Facultate Philosophicâ
suffragante,

PRÆSIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO AC PRAECLARISSIMO

DN. M. JACOBO THOMASIO,

Eloq. Prof. Publ. celeberrimo, Facult. Philosoph.

Asseff. gravissimo, nec non Min. Princip. Collegii

Collegiato dignissimo,

PRAECEPTORE, PATRONO atq. PROMOTORE
omni obseruantia prosequendo,

Publico Eruditorum Examini sistic

PAULUS WINCKELMANNUS, Weisenfelsensis,

Bonar. Art. & Philof. Baccal.

Autor & Respondens,


ad diem 5. Decembr.

horis matutinis

In majori Principum Collegio.

*LIPSIÆ,
Literis Ritzschianis,
cīo 10c LX.*

J. D. Philipl.





In Nomine JESU!

Ethicæ doctrinam in Scholis tradendam & di-
scendam esse, non facile invenietur, qui in dubium vocare
audeat seriò. Docenda illa & proponenda est, OB BONOS
quidem, ut pergant, & in actione boni magisqve
proficiant: OB MALOS autem, ut convertantur, & à malo ad bonum
transcant: denique ob illos, QVI IN BIVIO SUNT CONSTITUTI, ut be-
nè operari incipient. Cùm autem nullum sit Ethicae disciplinæ
caput, qvod operâ perfunditorâ tractare deceat, tūm illud impri-
mis, qvod de HUMANARUM ACTIONUM PRINCIPIIIS inscriptum est,
rectè constitueret, plurimū interest. Etenim, ut testimonio utar
CL. Hornei Lib. III. Phil. Mor. c. 4. n. 1. Nulla est doctrina in Ethicæ
aut nobilior, aut ad omnem vitam civilem cognitū magis necessaria, cā,
qde actionum nostrarum principio agit. Proinde & nobis placuit,
qui in optimarum artium studio versaremur, huic tam illustri ar-
gumento aliquot pagellas impendere. Probè enim philosophantie
est, ait M. Joh. Catus in Spec. Qvæst. Moral. in Arisot. Lib. III.
c. 1. Non solum res ipsas, sed rerum causas perscrutari, quippe, ut ex ra-
dice, non ex cortice, plantarum fructus: ita ex causâ, non ex effectu,
maximum rerum usus elicatur. Sed quid audeo? Arduum certè est,
qvod habeo materię propositum, & qvod non adolescentis judi-
cii parum feliciter conatus, sed adulti confirmatam postulet maturi-
tatem. Et fateor ingenuè, facilè moveri me potuisse, ut ab hoc
argumento, qvod esset altioris indaginis, qvam, ut ab ingenio
meo perqvam exiguo, minusqve perspicaci, prodignite excuti
possit, abstinerem, nisi πολυθρύλητον illud aures vellicasset, ve-
niāque promisisset: IN MAGNIS ET VOLUSSIS SAT EST. Spero
itaque, ignoscunt prudentes actionum humanarum, (& ita harum
mearum) Arbitri, si qvid minus apposite prolatum fuerit, ab ho-
mīne humani nihil alienum esse, reputando. Ego, ut scopum
per ingam optatum, DĒUM, omnium actionum nostrarum, ita &
hujus meæ Directorem & Promotorem, supplex rogo, ut huic la-
bori benedictionem suam ex alto clementer largiatur! Sit ergo

A 2

CAPUT

CAPUT I.
TERMINORUM EVOLUTIO.

¶. 1.

Nteqnam rei ipsi immersamur, ante omnia observandum erit: Quid hic vocetur Principium, quid item actio. Cum enim Vocabula hac sint æqvivoca, nostrarum erit partium, ambiguitates eorum prius removere, qvò felicior ad subsequentia comparetur accessus.

¶. 2. Non accipimus hoc loco vocem Actionis in genere pro qvācunque operatione, qvæ ab anima nostra facultate qvāvis originem trahit. Quemadmodum enim potentiarum anima alia naturalis est, alia libera; sic & actiones ipsas ab his potentiss proficentes in naturales & liberas distinguere convenient. Non de naturalibus hīc negotium nobis futurum est, sed liberis & moralibus. Qvæ re è humano dicuntur ab homine, qvæ ab eodem, tanquam liberè agendi principio, ex voluntate deliberata provenient, ut Thomas adducit 1. 2. quest. 1. art. 1. Piccolomineus c. 4. Introd. ad grad. Civ. Phil. Humanam actionem sic describit, qvòd sit actio ex hominī libertate prodiens, ut in eā honestum, & quod decet, natum est refulgere.

¶. 3. Neqve actiones hīc eas intelligimus, qvarum Spiritus S. gratia in homine principium est, (hæ enim ad Theologorum subsellia spectant,) sed civiles cum Hornejo lib III. Phil. Mor. c. 4. n. 28.

¶. 4. Porro cum actionum nostrarum aliæ sint exteriores, alia interiores, non intelligimus hoc loco interiores, sed de principiis exteriorum qvæstio est. Hæ enim, cum in sensu incurvant, actiones καὶ ἔργα in civilibus appellantur. Actus autem interiores principia tantum sunt reliquorum. Ita Electio, Consultatio, & Voluntas actus sunt. Eligere enim, Consultare, Velle, agere est, & omnia ad Prædicamentum actionis pertinent. Qvare principia ista sunt actionum non omnium, sed exteriorum. Hornej. d. 1. n. 2.

¶. 5. Ex his verbis jani qvadantenus patet, cuius generis principia hīc intelligamus, nemp̄ qvæ sint in Prædicamento Actionis. Qvanquam enim exteriorum illarum Actionum dantur principia qvædam, qvæ in aliis locantur prædicamentis, tamen ea in hāc doctrinā seponimus.

¶. 6.

9. 6. Sanè hominem ipsum suarum actionum principium esse dubitari non potest : εόντε δι, inquit Philosophus III. Nicom. 3. ἀνθρώπος εἶναι αἴσθητος τῶν περιεχόντων. Atqui Homo substantia est.

9. 7. Ab homine cūm abimus, ingens sese nobis, mireq; ve varius offert ceteris principiorum, qvæ inter ipsum & actus illos externos mediant. Valebit enim & hic illud Piccolominei Grad II. c. 1. *Varia profecta sunt, quæ erga viriū et principiū locum aliquā ratione videntur obtinere, quorum hac potiora, magisq; cognitu necessaria judicavi: Vires anima, habitus, actiones mos, assertudo, exercitatio, agere sponte, invicere, non sponte, agere inscientem, per inscitiam, per vim, electio, preelectio, Consultatio, Voluntas, Libertas, & deinceps illæ, quæ actionum circumstantia appellantur.* Sic enim est: actus nostri externi oriuntur ab internis; hi provocantur a suis potentissimis: quarum aliae naturales, aliae acquisitæ seu habitus. Habituum principia vicissim sunt actio-nes certi generis, quas antecedentes habitum vocamus. Hæ deni-que à circumstantiis suis pendent quodammodo.

9. 8. Ex hoc igitur tanto principiorum cumulo, nisi certam eorum aliquam classem excerpamus, iusti citius voluminis, quam paucarum thesaurus habituri sumus materiam. Et verò, qui hunc titulum in Ethicis exequuntur, vel ipsa Catalogi, quem ponunt, brevitatem faciunt, non omnem se principiorum copiam exhaustire vo-luisse: sunt tamen alii aliis longius, ut è seqvient. patebit, progressi.

9. 9. Nos præter id, quod 9. 4. ex Hornejo nostrum feci-mus, unum adhuc monemus, nos in hac principiorum venatione, eos tantum internos actus perseQUI velle, qvæ oriantur ex potentissimis homini propriis, intellectu & voluntate, nē quis forte ad actus usq; sensuum internorum, aut motus sensitivi appetitus, qvi & ipsi suo modo ad externas actiones concurrunt, progredi nos cogat.

CAPUT II.

OPINIONUM ENUMERATIO.

9. 10. His ita circa Terminorum acceptiōnem prælibatis, vi-deamus nunc de numero principiorum. Quem alii majorem, alii minorem statuunt. Communissima ferè opinio hac quatuor numerat: 1. Spontaneum & Invitum. 2. Electionem. 3. Consultationem. 4. Voluntatem. Ita docent post alios Hornejus III. Phil. Mor. 4. n. 1. p. 315. Stier. Part. II. Phil. Moral. c. 3. Cellar. Tabell. V. Eth. Eadem sententia inter Scholasticos est Javelli, licet quædam principia aliis nominibus designet. Verba ejus adscribe-

mus ex Epit. Ethic. Arist. lib. III. Aristoteles per trahat tertio libro de principiis existentibus in nobis, à quibus proveniunt actus virtutis & vitiū: sunt autem hoc principia: voluntarium, eleſtio, confilium, voluntas.

¶. 11. His quatuor principiis sunt qui addant quinto loco Liberum Arbitrium, seu τὸ αὐτεξέστιον, ut Donaldson Disp. III. Eth. §. 2. Nic. Hunn. Disp. V. Eth. p. 86. Hier. Prætor. Theat. Eth. Part. II. sect. 1. p. 27. Alii Libertatem arbitrii sic admittunt, ut principiorum tamē quaternariorum servent numerum, spontaneo scil. omisso, id quod faciunt Jacobus Martini Synops. Eth. lib. II. c. 2. p. 73. & Liebenthal Exerc. V. Coll. Eth. §. 2.

¶. 12. Rursum invenias, qui tribus contenti principiis non modo Spontanei, sed & Liberi Arbitrii mentionem in hoc argumen-
to injiciant nullam. Principia Actionum humanarum, ex quibus virius
generatur, tria sunt: Praelettio, Consulatio & Voluntas, ait doctis.
Stahlius lib. II. Eth. c. 4. p. 89. Confer Christian. Matth. System. Eth.
Disp. VIII. §. 1. p. 83, & Wizendorf. Prud. Civil. p. 31.

¶. 13. His omnibus sic sentiendi causam id præbuisse mani-
festum est, quod qvælibet pars crederet, ab ipso Aristotele hanc de
principiis actionum nostrarum doctrinam ita propositam fuisse Li-
bri III. Nicomach. parte priore. Itaque & in enumerandis iis or-
dinem ejus diligenter observant.

¶. 14. Sanè verò negari non potest, de Spontaneo & Invito
egisse Philosophum c. 1. dicti libri; de Eleſtione c. 2. de Consul-
tatione c. 3. de Voluntate c. 4. de Libero denique Arbitrio c. 5. Neqve negaverimus, nihil esse in illis quinque, quod non respectu
humanarum actionum principiū rationem uncunqve sustinere possit.
Verum h̄c duas se nobis aperiunt difficultates: primò enim non
videtur Aristoteles dictis capitibus idegit, ut numerum iniret ho-
rum principiorum. Deinde qvicqvid sit de ejus mente, si princi-
piū nomine aſſis internos anima rationalis intelligas, nullam putas
e prædictis esse opinionem, prout qvidem de eā ē terminis judicium
ſcribi potest, qvæ non aut superfluitatis, aut parcitatis, aut utroqve
vitio labore. Ut non planè iniqua esse videatur Christiani Mar-
thiæ d. l. querela: De actionibus humanis involvi admodum & perob-
ſcurè Ethicorum Scholas docere. Sed nos noſtra exeqvamur.

CAPUT III.

OPINIONUM EXAMEN.

¶. 15. Etenim, quod ad scopum Aristotelis attinet, qvem in
prior

prioribus lib. III. capitib. propositum habuit, ipse nos eum non
passus est ignorare, dum librum his verbis orditur: Τῆς ἀρετῆς δὲ
πάθη τε καὶ πορέχεις γένους, καὶ εἰ πλούτοις ἐκποτίσεις ταχανῶν καὶ
λόγων γνωμάρθων, οὐδὲ τοῖς ἀκεραιοῖς συγγνώμην, ἔνοτε καὶ εἰδένεις,
τὸ ἐκποτίσον καὶ αἰτίστον ἀντιγνώμονον¹ τοις διεργασταῖς τοῖς τοῦ ἀρετῆς ἀπ-
ποτεῖσι. Χερισμὸν δὲ καὶ τοῖς νομοθετεῖσι, πρέπει ταῖς τιμαῖς καὶ ταῖς
κολασίσις. Cur ergo de Spontaneo & Invito tractationem susci-
perit in doctrinā de Virtute, hæc eum causa movit, quod actionibus
humanis *Virtutis* aut *Vitii* pretium, h. e. laudem aut vituperiam,
præmium aut pœnam addicere non liceat, nisi constet prius, sponte
factæ sint an fecus?

6. 16. Hac actionum differentia exposita pergit cap. 2. atq[ue] de proæfisi etiam seu electione agendum esse. Ecclornam obsecro? Responde tipse: οὐειτατον γαρ εἴναι δοκεῖ τῇ δημοσίᾳ. Nam proæfisi virtutis coniunctissimae est. Nihil verius dictum. Nam ne definiiri quidem Virtus potuit lib. II. c. 6. absque mentione τῆς περισσότερως. Εἰσιν ἀλλά η δημοσίᾳ ἔχεις ΠΡΟΑΙΡΕΤΙΚΗ. Imo hujus definitionis qvoad hanc partem explicanda gratiā, qvicq[ue] his qvinq[ue] capitibus docetur, assumptum fuisse, observatum est à viris doctis, Giphan. Comm. ad III. Nic. c. 1. p. 151. Goelen. Exerc. Eth. p. 17. Nic. Willebrand. Exerc. de viri Pol. Princip. lib. III. ab initio. Conf. Philipp. Mel. in III. Ethic. Arist. pag. 325. & 332. & ostendit facilē q[uod] potest: Virtus est habitus Elec[t]ivus. Docendum ergo, qvid sit Elec[t]io. Est autem Electio Spontaneum prius deliberatum, εὐθυνον τοπειβλευμόν c. 2. Ergo offerebat se occasio commentandi aliquid de spontaneo & invito, c. 1. omnino autem, qvid esset deliberatio (Βελεύσις) aperiendum fuit c. 3. Porro ne quis Electionem & voluntatem, actus alioquin valde cognoscet, confunderet, peculiari insuper c. 4. de Voluntate (τῇ Βελεύσει) agendum videbatur: Atque hac omnia tandem c. 5. obsignavit disputatione per id æcum summi necessariā contra eos, qui negabant, in nostra potestate situm esse, boni an mali evaderemus, h.e. Libertatem arbitrii humani inficiabantur. Qvæ opinio allatæ Virtutis definitioni præsentaneam perniciem meditabatur. Neq[ue] enim sublatâ isthac libertate electioni aut habitui elec[t]ivo locus est. Quapropter hoc toto qvinq[ue] capitum labore perfunctus Philosophus, in ἀναφαλαώσις eorum, qvæ de Virtute differuerisset, dicit inter alia probasse, qvòd Virtutes in nostrâ sint potestate & spontaneæ, ὅτι εἰ ήν πολλὴ εὐθυνή (αἱ δημοσίαι.)

¶. 17. Hęc ex ipso Philosophi textu idē enotavimus, ut pā-
refcat, curam ipsi fuisse, ut definitionem virtutis suam tūm illustraret,
tūm sartam tectam servaret, non verò, ut humanarum actionum
principia nobis annumeraret. Evidēm nihil esse in illis quinque
capitibus, qvod ad humanas actiones non pertineat, ultrò largiūr:
est enim spontaneum & invitum differentia eorum: neqve abnu-
mus, qvi cetera qvatuor, elec̄io, consultatio, voluntas, liberum
arbitrium, nominentur earum principia; sed Aristotelem hęc o-
mnia sub ratione principiorum exposuisse, aut hunc titulum suis nu-
meris h̄c absolvere voluisse, id verò est, qvod zgrē nobis persuade-
ri patimur.

¶. 18. Enimverò in illis totis quinque capitibus τῆς ἀρχῆς
seu principii vox septies decies occurrit; sexies c. 1. ter c. 3. octies
c. 5. nam à 2. & 4. planè exulat. In his tot locis unicus est, qui vo-
cem τῆς ἀρχῆς in casu recto per modum prædicati enunciari aperte de
aliquo subiecto. Hoc verò subiectum c. 3. nominatur *Homo*. "Εο-
νεύ ἀνθρωπός εἴναι αἰρέσθαι τὸν περιζητόν. Cui quid simile legitur, c.
5. Sed nullus ostendetur locus, in quo vocabulum hoc expreſſe at-
tribuat Philosophus spontaneo vel invito, aut ceteris, qvæ enumera-
ri solent. Imò dum c. 1. Violentum definit ἡ ἀρχὴ τέλος, cuius prin-
cipium est extra: & Spontaneum, ἡ ἀρχὴ τὸν αὐτὸν, cuius prin-
cipium est in ipso agente satis innuit, se spontaneum & violentum, non
ut principia h̄c considerare, sed ut ea, qvorum sunt principia, i. e.
ut principiaria.

¶. 19. Quid autem, inquies, per ἀρχήν in definitione sponta-
nei intelligit? Nihil hic mutamus de expositione vulgata. Si enim
spontaneum ibi sensu lato, & in bruta etiam competente accipit, ἀρ-
χήν actum appetitus late sumpti; fin stricte, prout humana tantum
actionis differentia est, ipsius voluntatis actum interpretabimus.
Enimverò cùm in ea definitione ἡ ἀρχή distinguatur à Scientiā
seu actu facultatis cognoscētis, necesse est, dicamus, principii vo-
ce facultatis appetitus actum denotari. Ergò isthō nomine A-
ristoteles κατ' ἑρκόνιν volendi actum intelligit, qvod eum in aliis et-
iam textib. qvibusdam facere scimus. Sed unde docebitur, qvic-
qvid praterea vel actum vel potentiarum rationalis anima in his
capitibus considerat, principiorum titulo eum ornare, aut hanc de
principiis actionum doctrinam pertexere voluisse?

¶. 20.

¶. 20. CL. Hornejus Lib. III. c. 4. n. 2. aduersus eos, qvī libertatem arbitrii adderent, inter alia id urget, eam à Philosopho c. s. non esse explicatam ut peculiare principium; nam id tantum illic loci agere Philosophum, ut ostendat, omnes virtutes & vitia in nostrā potestate esse, idēq; qvod & principia tām virtutum qvām vitiōrum in nobis posita sint: & hunc esse capitū illius scopum, etiam à Thomā & Acciājolo statui. Ex horum ergo interpretū sententiā omittamus hic de *Liberō arbitrio* dicere.

¶. 21. Omittamus & doctrinam de Spontaneo. Id enim est si haec nolentibus plerisque: tamen Aristoteli magis consentanea est sententia acutiss. Stahlī, de spontaneo & invito non aliter agentis, qvām prout sunt Humanarum actionum differentia Lib. II. Eth. c. 3. p. 77. Nam & paulò ante prolati ejus textibus manifestum fecimus, Spontaneum & invitum principiata illi esse potius, qvām principia.

¶. 22. At, inquies, Electio tamen principium est Actionum. Jam Electio est spontaneum qvidam, c. 2. Ergo & spontaneum inter principia tuebitur locum. Enimvero factum hinc est, ut disputerent, non postulari oportere, ut principia illa omnīe inter se differant realiter, sufficere, si differant tanquam commune à minus communī. Vid. Hornej. n. 2. Sed responderi multa possunt.
1. Quid enim, si quis invertat argumentum: Spontaneum Aristotelī est principiatum. Electio est Spontaneum. Ergo. 2. Si cogatur in formam iste Syllogismus, nihil aliud eviciet, qvām qvoddam Spontaneum esse principium actionis humanae. Et omnino datur aliud Spontaneum, qvod si maximē pro principio agnoscatur, non in hominī, sed in animaliis actionem influat. Sed nos quereremus hic principia actionum humanarum, qvā talium, & principia ejusmodi, qvib⁹ universale signum praefigi posset. 3. Si Spontaneum est principium, qvia in definitione Electionis stat vice generis, etiam ὁρεζικός appetitus principium erit, qvia in alterā Electionis definitione, qvā c. 3. legitur, generis obtinet locum: idq; eo magis, qvia definitio hæc altera accuratior est. Dices forte: Idem esse in his definitionibus ἐλέγχοι, & τὴν ὁρεζικήν. Sit ita, sed ὁρεζικός nomen clarius est. Cur ergo cum Aristoteles obscura dilucidis mutaverit, nos contra dilucida mutamus obscuris? 4. Qui cum curā legent Aristotelem, videbunt, cum c. 2. spontaneum confide-

rare ut aliquid homini cum bratis commune, & hoc est, quod c. seq.
signatius op̄s̄ iv vocavit: c. verò 1. ut aliquam actionis humanae
quā talis, cum opposito invito differentiam: c. 2. est aliquid ab-
stractum, c. 1. aliquid cum actione externâ concretum. Sit ergo,
principium, cum abstracte sumitur: sensi concreto aperte Aristote-
li est principiū. Videas tamen plerosque, cūm de Sponta-
neo ut principio agere suscepserunt, ea omnia inculcare, qvā Sponta-
neus & Invito, ut principiatis, tribuit Aristoteles. 5. Repeto:
Si Spontaneū est principium, qvā genus est alterius principii (elec-
tionis:) qvāratur & genus Consultationis (vocat autem eam Ari-
stoteles c. 3. Cir̄nōv inquisitionem) & ex eo augetur principiorum
numerus. 6. Efficit illa ratio, ut cogamur præmonere, inter qvā
dam principia non esse aliud interjectum discrimen, qvām communi-
nioris conceptus, & minus communis. Qvantò melius illi, qui
Spontaneo prætermisso ab illā se cautiunculā absolvunt?

23. Qvos si sequimur, (videntur enim illorum minus impedi-
ta rationes) tria nobis supersunt principia: Consultatio, Elec̄tio,
Voluntas. Qvorum unum cūm sit actus intellectus, reliqua duo
voluntatis: patet, ea commodissime ad duas rationalis anima faculta-
tates revocari. Fecit hoc dudum communis Germania Pra-
ceptor Philippus Melanchthon, cuius in III. Ethic. Arist. h̄c sunt
verba p. m. 325. In tertio libro de causis (virtutis) disserit, videlicet de
judicio mentis, & de libertate voluntatis. Hi sunt fontes Virtutis v̄re
divini. Et c. 3. p. 334. Definit Aristoteles προαιρετιν esse sp̄one velle
aut nolle honestvel inboneſta præcedente deliberatione. Estq; h̄c defini-
tio obſervanda propter definitionem Virtutis ſup̄a traditam. Monſtrat
enim causas virtutis, ſcilicet mentem iudicantem & voluntatem. His similia
paſſim in Ethicis inculcat vir sapientissimus, cuius vſtiq; ſi
inhāremus, qvid simplicius, qvid clarius dici potest, qvām huma-
narum ſeu moralium actionum duo eſſe principia proxima, & qvā
rationalis anima actus ſint, qvorum unum eſt actus intellectus, alte-
rum actus voluntatis?

6. 24. Veruntamen qvā placuit Aristoteli, voluntatis actum ex
parte objeci distingvere in eum, qvi circa media, & eum, qvi circa
ſinem ipsum versaretur, qvorum illū vocavit Electionem, hunc vo-
luntatem (ſtricto ſenſu,) qvanq; am illi non propositum fuit principiorum
inſtituere partitiones: dabimus tamen aliquid inveterata
con-

seq.
iman
id ab
ergo
Aristo
ponta
Spon
epeto:
ii (ele
in Ari
tiorum
r qv
onimm
li, qui

pedi
lectio,
ra duo
ma fa
e Prä
e sunt
ice de
is ver
è velle
defini
onstrat
His si
igii si
humau
& qv
alte
um ex
circa
ac vo
princi
terata
con-

consuetudini, nec inviti patiemur, hæc duo pro distinctis principiis haberi actionum. Id admonemus tantum, non omnem voluntatis (sicuti nec omnem intellectus) actum circa media, Electionem (aut Consultationem) esse, ut cum amplectimur id medium, quod quia solum est, consultationem non admittit.

¶. 25. Jam si voluntatis actus ex parte objecti sic distinguimus, nulla ratio vetat, quin idem faciamus circa actus intellectus: Et vero manifestum est, consultationem esse mediorum. His ergo tribus, Consultationi, Electioni, Voluntati addendus fuerit quartus aliquis in intellectu actus circa finem, qui scilicet sic è regione respondeat voluntati, sicut Electioni Consultatio. Is vero est Conscientia seu dictamen rationis circa discrimen honestorum & turpium, quæ in Ethicis finis rationem obtinent. Et ita prodibunt nobis quatuor actus interni, qui exteriorum actionum moralium sint principia? Circa finem in Intellectu Conscientia, in voluntate Voluntas (strictè sumpta;) circa media in Intellectu Consultatio, in voluntate Eleccia.

¶. 26. Ut adeò si communis doctrina condescendere velimus, nihil aliud agendum sit nobis, quam ut in locum Spontanei substituamus Conscientiam. Et ab hac sententia proxime absuit CL. Hornejus, qui in ipsa Spontanei doctrina Conscientia naturam & discrimina accurate perscrutatur, expressè testatus n. 3. p. 318. esse Conscientiam principium actionum. Sequitur eum Cellarius in Tabellis. Manus scriptus erumpit Iterum Synops. Phil. Moral. lib. II. c. 3. §. 5. Principium, inquit, actionis voluntarie est Scientia sive Conscientia, Voluntas, Consultatio, Eleccio. Quam sententiam, uti praeceteris minus habet palebrarum, ita nostram nunc facere non dubitamus.

CAPUT IV. DE CONSCIENTIA:

¶. 27. Nunc de singulis ordine pauca dicemus. Est autem Conscientia actionum humanarum principium, quatenus est quasi præco quidam legis naturæ aut divinae; i.e. homini proponit & suggesterit, quid utriq. illi consentaneum vel dissentaneum sit, aut in universum, quid fieri vel non fieri in vita debet, ut ingreditur laudatus Hornejus l. III. c. 4. n. 3. Ex quo eluceat, quo respectu Conscientiam hoc loco intelligamus, scilicet quatenus est de faciendis.

¶. 28. Ceterum, cum Conscientia nihil aliud sit, quam Iudicium

civitatis *tres*, illud autem proprie^t triple^x; rectum, probabile & errore^m & legiūm quinque totuplicem etiam esse Conscientiam. Qvandoq^u idem vero etiam dubitatio & intellectus judicium ejus appellantur in proprie^t hinc similiter Conscientia alia dubia, alia scrupulosa Scholasticis esse dicitur. Atq^{ue} sic quintuplicem eam constituunt; rectam, videlicet, erroneam, probabilem, dubiam & scrupulosam.

¶. 29. Conscientia recta est, qvæ id faciendum aut omittendum præcipit, qvod faciendum aut omittendum omnino est. Et maximam vim habet simpliciter nos obligandi, ut judicio ejus obtemperemus. Hinc qvodcunq^{ue} ipsa inscribit, obseqviōsè, si tui arbitrii res sit, morem geras; sin minus, eò tendas, ne contra eam qvid fiat. E. g. Conscientia recta mandat, pauperibus, ubi opus est, succurrere; qvamobrem omnino hoc facere qvibus, si de suis rebus disponat, tenetur. Qyòd si verò alterius gerat negotium, cui præest, provideat tamen, ne illis noceatur aut præjudicetur.

¶. 30. Conscientia erronea est, qvæ id faciendum aut omittendum judicat, qvod faciendum vel omittendum erat neutiquam. Hujus ea est conditio, ut peccare possit, tam qvi juxta eam agit, qvam qvi contraria, qvod latius exponit Hornej. n. 5.

¶. 31. Conscientia probabilit^e est, qvæ faciendum vel omittendum judicat, qvod probabiliter cum jure consentire aut dissentire opinatur. Ea cùm non fallitur, convenit cum rectâ, qvia recte judicat: differt autem ab eâ, qvia eâdem, qvâ illa pollet, destituitur certitudine.

¶. 32. Conscientia dubia vocatur, cùm quis dubii pendet animi, qvorum se vertat, cuique contradictionis parti cálculum adjiciat. Videendum propterea, an Conscientia dubia aliquid facere liceat? Negamus. Peccat enim, qvi aliquid dubiâ Conscientia agit, eo ipso, qvod periculo peccandi se exponit; imo & aliquo modo peccare vult, qvatenuis perinde ei est, sive bene, sive male agat.

¶. 33. Conscientia scrupulosa appellatur, cùm statuitur qvid licitum esse, ita tamen, ut scrupulus aliquis remanserit. Est autem scrupulus iste vel rationabilis, vel irrationabilis. Si rationabilis, recte fecerit, qvi ejus rationem haberit. Si irrationabilis, qvoad fieri potest, ex animo est extirpandus; Qvod, qvibus modis fieri possit, benè docet B. Bald. in C^al. Conse. l. 1. c. 10.

CAPUT

**CAPUT V.
DE VOLUNTATE.**

¶. 34. Hæc de Conscientiâ. Progrediamur ad voluntatem. Usurpatum vocabulum Voluntatis dupliciter: Nonnunquam latè; in quâ significazione dicitur de omni appetitione, & tribuitur non solum homini adultro, verùm etiam bestiis & pueris. Itaque dicimus, feras in silvis tendere, aves in aëre volare, quemadmodum volunt, puerisq[ue] licere agere quod volunt; Secundò usurpatum propriè pro appetitu mentis, contradistincto non solum ab appetitu sensus, verùm etiam à præelectione sibi summoperè conjuncta. In quâ significazione per se primò, & ratione propriâ est ipsius finis, non autem mediorum, & per hoc ipsum ab Electione separatur.

¶. 35. Seqvitur Definitio Voluntatis, quam ex Piccolomineo repetere placet. Sic autem ille Grad. II. c. 22. *Voluntas est appetitus mentis, tendens in finem humanarum operationum, à mente ut nobis bonum indicatum.*

¶. 36. Qværitur hōc loco de objecto: *An Verum bonum sit Voluntatis objectum?* Non est negandum, qvin anguis sub herba, scorpio sub lapide aliquando latitet. Qvorsum hæc? ut intelligamus, non aliter voluntatem circa bonum, specie Virtutis, qvam mentem, circa verum specie Veritatis falli posse atq[ue] vacillare.

¶. 37. Neq[ue] vero tantum reverâ bonum, ut Socratice, neq[ue] tantum apparet, ut Academicci statuerunt, objectum voluntatis est. Non illud. Nam si tantum id, quod per se bonum est, esset objectum voluntatis; tūm illud, quod vult malus, non esset objectum voluntatis: Sed hoc falsum est; aut si subjiceretur voluntati, id etiam bonum esset, quod absurdum. Non hoc; Nam si tantum apparet bonum voluntati subjiceretur, nihil esset suapté naturâ objectum voluntatis, vel nihil à voluntate per se appeteretur. Alias enim apparet bonum verē & per se bonum esset.

¶. 38. Concludo igitur; Ut intellectus est quasi rasa tabula, in quam recipi potest omnis naturâ forma: ita voluntas est quasi liqefacta Cera, in quam reprimit possunt omnia, qvæ sunt aut apparent bona.

**CAPUT VI.
DE CONSULTATIONE,**

B 3

¶. 39.

¶. 39. A fine procedamus ad media. Ubi se primum offers in Intellectu *Consultatio*, seu ut alii vocant, *Deliberatio*. Quæ Græcè Aristotelî est *βιβλευστις*.

¶. 40. Sumitur autem Deliberatio aut *communiter* pro omni dispositione rerum futurarū, & sic Astrologi dicuntur in suis divinationibus & præfagiis consultare: aut *propriè* pro sagaci meditatione de rebus futuris in nostrâ potestate sitis, & sic hoc loco accipietur à nobis.

¶. 41. Non male definivit eam Piccol. Grad. II. c. 22. *Consultatio est investigatio perrationem mediorum lacentium, quæ ad nos pertinent, ac à nostrâ sunt facultate, ut potiora inveniamus pro consequendio finit.*

¶. 42. Prospiciendum nunc, quæ sub consultationem cadant, & quæ non. Exulant ab hac omnia, ad quæ, vel consequenda, vel immutanda vis humana nihil conferre potest. Itaque nemo, qui quidem sanus sit, consultat (I) *de rebus præteritis*, quia factum inferum fieri nequit; & Cicero dicit de finibus: *Quod semel amissum, coerceri reprimique non potest.* (II) *de naturalibus*, sive necessaria sunt illa, sive contingentia, sed nostra potestati exempta. Sunt enim quædam naturalia, quæ semper eodem modo mouentur, qualia sunt Conversiones solis, & ortus stellarum: quædam etiam sunt naturalia diversa, quæ quidem alias alteri eveniunt, ut siccitates & imbre. (III) *de Fortuitis*, cuiusmodi estthesauri inventio.

¶. 43. Deliberatur autem *de rebus humanis*, non tamen quibuscumque: Nam quis Romani Imperii Princeps deliberationem instituit, quomodo Turcicum regnum administrare velit? Sed de iis tantum, quæ in nostrâ deliberantium sunt potestate, quæque nobis agenda sunt; & hoc modō de iis, quæ ad nos pertinent, non de iis, quæ pertinent ad alios. Dubitattamen Piccolom. I. 2. c. 23. in hunc modum: *Dictum est, Consultationem esse de illis tantum, quæ ad nos pertinent, & à nobis fieri debent, cum tamen sit conspicuum, Consiliarios Principum consultare & deliberare de attinentibus ad Principes, Patres de attinentibus ad filios, & ita de ceteris;* Sed rectè responderet: *Consultationem quidem esse de iis, quæ ad nos pertinent; at per nos intelligere nos debere non solum nos ipsos sed etiam omnes, qui ad nos pertinent, nobisq; sunt juncti, ac cura nostrâ, nostræq; diligentia commissi, at filii, amici, domini, & alii hujummodi.*

¶. 44.

of
Qx
nni
na-
cio-
tetur
on-
er-
do.
nt,
vel
vi
m,
a-
nt
i-
nt
&
in
le
o-
d
i
j
9. 44. Etiam hoc addendum est, deliberari non nisi de iis mediis, quae aliquid habent varietatis, aut habere nobis videntur. In uno enim solo, ut locum non habet electio, ita nec consultatio.

CAPUT VII. DE ELECTIONE.

9. 45. Exposuimus, quid sit Consultatio, pergamus ad Electionem. Dicitur autem Electio, aliis Praelectio, ab eligendo, quia ex pluribus, quod nobis videtur esse bonum, eligimus.

9. 46. Arist. I. III. c. 3, circa finem dicit, esse appetitionem premeditatum eorum, que in nostra sunt potestate. Ex quibus Aristotelis verbis patet, dum illam vocat ὄρεξ seu appetitionem, quod sit actus non intellectus, sed voluntatis, quod medium, per quod nos finem consequi posse, intellectus judicavit, appetimus. Non autem est appetitio rationis expers, quia βελευτική ὄρεξ deliberativa appetitio. Unde Arist. VI. Eth. c. 2. ait: *Electio vel intellectus est appetitus, vel appetitus intellectivus.*

9. 47. Pertinet ergo Electio propriè dicta ad animam non sentientem sed rationalem. Evidem pates & brutum animal, cum pascitur, ex multis herbis pro lubitu, & prout hæc aut illa magis arriserit, hanc præ illâ decerpere. Verum non ex animi quâdam Electione, vocabulo propriè sumpto, sed natura ductu id prorsus fieri solet. Homo è contrario ita eligit, ut rerum collationem instituat, & postea sectetur, quod maximè probaverit appetitus.

9. 48. Qui verò dicunt, Electionem esse θηθυμίαν, Cupiditatem, aut θυμον, Iram, aut βεληντινam Voluntatem, aut διξαν Opinione aliquam, rectè dicere non videntur; sunt verba ipsius Philosophi c. 2.

9. 49. Praelectio non est θηθυμία. Nam (a) Electio non est in omnibus communis cum iis, quæ sunt rationis experientia, ut sunt Cupiditas & ira. (b) fieri potest, ut περαιτερις & θηθυμία non incident in unam eademque actionem. Ut: incontinentis agit quidem concupiscens, sed non præligeris. (γ) Cupiditas non adversatur Cupiditati, sicut Electio facit. (δ) Cupiditas est jucundi & molesti; Electio verò ex propriissimâ ratione versâ-

versatur potius in utili atque inutili, tanquam in campo proprio.

9. 50. Porro quod Electio non sit θυμός ira, ex praecedentibus quoque patet. Quidam hoc addamus insuper, longe minori probabilitate dici, electionem esse iram, quam cupiditatem. Quae enim ab irato sunt, longe minus sunt cogitatae, quam quae a cupido.

9. 51. Electionem non esse Σάλησιν Philosophus hisce confirmat rationibus. (α) Quia Electio non est adverba rati ut Voluntas. Voluntas enim non solum tendit ad ea, quae in nostra sunt facultates, verum etiam ad ea, quae sunt supervires nostras, immo etiam ad illas, quae fieri nequeunt; Vellimus enim esse Principes, esse immortales, volare, et eas facere, quae a nobis fieri nequeunt. Praelectio autem solum est eorum, quae in nostra sunt facultates. Piccol. I. II. c. 22. (ε) Voluntas quoque se extendit ad ea, quae volens nullo modo per se agere potest. Electio vero tantum eorum est, ut jam diximus, quae in nostra sunt potestate. (γ) Voluntas est ultimorum seu finium v. g. sanitatis: Electio vero eorum, quibus finem assequinur v. g. Medicinae.

9. 52. Quod Electio non sit opinio, hisce probatur (α) quia Electio non versatur circa omnia, ut opinio. (ε) Electio non distinguit vero & falso, ut opinio, sed malo & bono. (γ) Electio jubet bonum prosequi & malum vitare. Opinio autem tantum considerat, quid sit, aut cui conducatur? Et haec paucula juxta dictum Aristotelis etiam de Electione sufficient.

Tantum.

DD A 6358



56.

KOT

Ruth ✓

5 · 8

1500
1500
1500

B / G.	Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue										
Centimeters	19	18	17	16	15	14	13	12	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1
Inches	7.5	7.0	6.5	6.0	5.5	5.0	4.5	4.0	3.5	3.0	2.5	2.0	1.5	1.0	0.5	0.0			

Farbkarte #13

DISPUTATIO ETHICA
DE
ACTIONUM HU-
MANARUM PRIN-
CIPIIIS,

Quam,
Aurâ Divinæ Gratia aspirante

Et

Inclytâ Facultate Philosophicâ
suffragante,

PRÆSIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO AC PRÆCLARISSIMO

DN. M. JACOBO THOMASIO,

Eloq. Prof. Publ. celeberrimo, Facult. Philosoph.

Aflesſt. gravissimo, nec non Min. Princip. Collegii

Collegiato dignissimo,

PRÆCEPTORE, PATRONO atq; PROMOTORE

omni obſervantia prosequendo,

Publico Eruditorum Examini sifit

PAULUS WINCKELMANNUS, Weisenfelliensis,

Bonar. Art. & Philos. Baccal.

Autor & Respondens,

ad diem 3. Decembr.

horis matutinis

In majori Principum Collegio.

LIPSIÆ,

Literis Ritzschianis,

cic 100 LX.

J. D. Philippi.